

sis abusibus, quos aut superstitio, aut ignorantia, turpis quaestus causa novellis devotiunculis saepius aspergit.

* 54 Pastorum zelo quam maxime dignum est, populum ad solidiora Christianae pietatis exercitia, cujuscunque sodalitiis titulo instruere & instituere? S. Pius V. (a) pro educatione, & instructione christiana puerorum praecipit Ordinariis, ut in suis respective Diocesibus, tot Societates, seu Confraternitates, quot ad hoc SS. opus exercendum opportuna videbuntur, auctoritate Apostolica erigant, & instituant. S. Carolus inter reliquas unam sodalitatem, quae odiis, & dissidiis componendis invigilaret, in Concilio Mediolansi IV. (b) proposuit. Ut odiis, inquit, dissidis, atque inimicitiis occurratur, rursusque paci, cujus, fideles imprimi amantissimi esse debent, tot sanctissimis vinculis inter se juncti, consulatur: id praeter caetera Episcopi paterna sollicitudine curent in sua urbe, ac Diocesi aliquam hominum, qui morum gravitate, spectata integritate, & auctoritate praestantiores sunt, confratrem — instituere: cujus officium sit, discordiae flammis restringere, dissidia amovere, concordiam inire, pacemque inter omnes conciliare. Quid salubrius est his (c), aliisque spiritualis, corporalisque misericordiae christianis officiis, utpote quibus infallibile aeternae electionis praesagium suffragatur? Si consolentur afflictos, pascant egenos, vestiant nudos, redimant captivos, suscipiant peregrinos, si errantibus viam salutis ostendant, desperatis spem veniae consequendae promittant — quis sic erit alienus a fide, ut dubitet, tales contemplativae virtutis esse participes.

T I T. X X I.

De Sepulturis.

C A P U T I.

De Exequiis.

I nter christianae misericordiae officia recensetur & sepultura defunctorum. Ait S. Augustinus (d): Ipse quoque Dominus, die tertio resurrecturus, religiosae mulieris bonum opus praedicat, praedicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum se-

(a) S. Pius V. Bull. 137. in Bull. Rom. (b) Conc. Mediol. IV. p. IV. tit. 12.
(c) Int. ep. S. Prosp. de vita contempl. l. I. c. 25. (d) S. Aug. de civit. Dei lib. I. c. 13.

pehendendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter, atque honorifice regendum, sepeliendumque curarunt.

2 Sunt sepulturae christianae diversi ritus, quorum nonnullos a Gentilibus, alios a Judaeis missa superstitione, aut vanitate, adoptavit Ecclesia. Nec id vitio est; quippe juxta S. Augustinum (a): Nos non propter superstitionem profanorum debemus — fugere, si quid inde utile ad intelligendas scripturas rapere potuerimus.

3 Quum veteri more corpora defunctorum passim patenter deferrentur ad sepulchra; componere ea ad modestiam placuit. Hinc mox ab obitu oclusi sunt oculi, compressa labia, corpus ablutum, & decenti vestitu obvolutum. Supersunt haec plus, minusque & hodie, etsi corpora plerumque loculis operiuntur. Praecipit Rituale Romanum Pauli V. ut quisque Clericus sacris vestibus sui Ordinis amictus tumulo tradatur, quod nostra aetate, nostrisque Provinciis quoad Episcopos, Abbates, & alibi quoad Sacerdotes observatur. In reliquis successit, quod locus velo nunc nigro, idque magis, vel minus pretioso pro defunctorum conditione, aliquando appositis insignibus, tectus exponatur, exporteturque.

4 Antiquitus sat vulgare fuerat, quod corpora sub vesperam efferrentur. Hac occasione consuetum fuit sepulturis faces, & cereos adhibere. In veteribus monumentis frequens fit mentio luminum, & lampadum in sepulturis tum Gentilium, tum Judaeorum, tum & maxime Christianorum, utpote in signum laetitiae. Ait S. Chrysostomus (b): Dic mihi, quid sibi volunt istae fulgentes lampades. An non defunctos tanquam Athletas deducimus?

5 Ad signum laetitiae spectat & cantus ecclesiasticus in sepulturis Christianis. Et quidem sat diu superfuit, quod in exequiis defunctorum Alleluja audiretur. Inquit S. Chrysostomus (c): Quid etiam Hymni? An non Deum glorificamus, & gratias agimus, quod eum, qui excessit, coronaverit? Quod a laboribus liberaverit? Quod abjecto metu eum apud se habeat? Nonne ideo sunt Hymni? Nonne ideo Psalmodiae? Haec omnia sunt latantium.

6 Gentilis luctus alienus est a funeribus Christianorum, eum sciamus, eos non amitti, sed praemitti, recedentes praecedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent; desiderare eos debere, non plangi: nec accipiendas hic esse atras vestres,

Hh 2

quan-

(a) Lib. 2. de Doctr. Christ. (b) S. Chrys. hom. 4. in ep. ad Hebr.
(c) Ibi.

quando ibi illi indumenta alba jam sumpserint. Fragmentum extat. c. 25. §. 1. XIII. q. 2.

7 Concilium Toletanum (a) de ann. 1473. per trimestre à perceptione fructuum suspendit Clericos, qui pro obitu suorum propinquorum ulterius luctuosas vestes induere præsumserint, quia ex sententiâ Christi, qui credit, etiamsi mortuus fuerit, vivit.

8 Saluberrimus tamen locus superest piis suffragiis. Olim corpus sub vesperam ad Ecclesiam delatum, ibidem tota nocte expositum quiescebat, ad quod fideles orando excubabant. Inde superest hodiernum officium defunctorum, quod Vigiliis, & Nocturnis, laudibusque constat.

9 Præsente funere celebrabatur & Missa. Hoc exemplo præcipit Rituale Romanum, ut Missa præsente corpore defuncti, quantum fieri potest, celebretur pro eo, antequam sepultura tradatur. Quondam in lugubri Missa peculiaris præfatio, & oratio infra actionem dicenda illa fuit: *Hanc igitur oblationem, quam tibi pro anima famuli tui offerimus, quem hodie carnali corruptione liberasti, quesumus Domine, placatus accipias, & quidquid humanæ conditionis obreptionis contraxit, expedias: ut tuis purificata remediis ad gaudium sempiternum perveniat &c.*

10 Finita Missa notantur orationes, & responsoria dicenda ad corpus defuncti, antequam terræ mandetur. Hæc rursus multum cum hodiernis conveniunt. Recentius institutum referunt reliqui ritus thurificationis, & aspersionis super corpus defuncti. Aliquando enim nihil tam varium fuit, quam diversarum Ecclesiarum diversus rituum, & precum usus.

11 Reliqua pompa funebris ad arbitrium testatorum, aut hæredum recidit. Inquit S. Augustinus (b): *Pompa funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, opulenta monumentorum constructio vivorum sunt qualiacunque solatia, non adjutoria mortuorum.*

12 Pompam funebrem insequiebantur sacrificia, oblationes, & eleemosynæ aliaque pia suffragia, quæ nonnumquam & die III. VII. XXX. aut XL. repetebantur. Juxta S. Augustinum (c); *prosunt illa defunctis, sed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem.*

13 Præcipit Rituale Romanum (d), ut in his præstandis, qua par est modestia, ac devotione, ita se habeant Parochi, aliique Ministri, ut ad defunctorum salutem, simul-

(a) Conc. Tolet. c. 8. (b) S. Aug. de Verb. Apost. serm. 32. hodie 172.
(c) De cur. pro mort. c. 18. (d) Rit. Rom. de Exeq.

que vivorum pietatem, quemadmodum vere sunt, non ad questum, ejusmodi ritus instituti esse videantur.

14 Quid æquius Concilii Remensis de ann. 1583. Decreto (a)? *Quantum, inquit, attinet ad christianam sepulturam, quam nec superbam, nec neglectam esse decet, aut despectam, Paræci in hanc officii sui partem diligenter incumbant, ut piorum funera christianæ simplicitatis, ac modestiæ limites non excedant.*

15 Hac occasione nonnumquam locus est auctoritati civili ad reprimendas injustas exactiones, aut restringendas superfluas expensas; utpote si res egrediatur justam sumptus rationem. Arg. L. 14. §. 6. ff. de Relig. & Sumpt. Fun.

16 Inter alia veteres leges cavent, ne defunctorum corpora in civitatibus sepelirentur. Inquit Theodosius junior: *Omnia, que super terram urnis clausa vel sarcophagis corpora detinentur, extra urbem delata, per vias publicas ponantur, ut & humanitatis instar (id est humanæ fragilitatis, & mortalitatis effigiem) exhibeant prætereuntibus, & relinquunt incolarum domicilio sanctitatem; utpote puritatem, ne fœtore cadaverum vivorum corpora inficerentur. L. 6. C. Th. de Sepulchr. violat. & ibi Gothofred.*

17 His subdit Imperator: *Ac ne alicujus fallax, ac arguta solertia ab hujus se præcepti intentione subducat, atque Apostolorum, vel Martyrum sedem humanis corporibus æstimet esse concessam, ab his quoque, ut à reliquo civitatis solo, noverint se, atque intelligant esse submotos.* En veterem obtentum, quum invalescente Religione passim SS. Apostolorum, vel Martyrum corporibus, vel Reliquiis intra urbem Ecclesiæ, & altaria superstruerentur, reliquis Christianis votum passim stetit, merendi intra urbem sepulturam, ut eorum corpora in illis memoriis SS. Martyrum quiescerent.

18 Ex sententiâ S. Augustini (b): *Profecto etiam provisus sepeliendis corporibus apud memorias SS. Martyrum locus bonæ affectionis humanæ est erga funera suorum: quoniam, si nonnulla religio est, ut sepeliantur, non potest nulla esse, quando, ubi sepeliantur, attenditur.*

19 Hinc & ipsi Imperatores eligebant in liminibus SS. Martyrum inhumari. Juxta S. Chrysostomum (c): *Imperatores pro magno habuere, si juxta Apostolorum saltem vestibula corpora ipsorum sepelirentur, fierentque Reges Piscatorum Janitores.*

His,

(a) Conc. Rem. de Sepult. (b) S. Aug. lib. 2. Retract. c. 64.
(c) S. Chrys. hom. 26. in 2. ad Cor.

20 His, aliisque exemplis consuetudo veteres leges abolevit. Unde in Oriente Leo (a) sapiens plenam libertatem cuique fecit, intra, vel extra civitatem eligendi sepulturam, quia diuturna consuetudo passim veteres leges oppressit. Sic sensim sepulchra urbana invaluerunt.

21 Quantum ad sepulturas Ecclesiarum, superest inter vetera Decreta Concilii Moguntini lex, ut nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles laici; utpote juxta interpretationem S. Theodolphi Aurelianensis, si per vitæ meritum, talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisiverunt.

22 Juxta Decretum Concilii Nannetensis: Prohibendum est etiam secundum Majorum instituta; ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut porticu, aut in exhedris Ecclesiarum; intra Ecclesiam vero, & prope altare, ubi corpus, & sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur. Refert sub aliena epigrapha Gratianus. c. 15. XIII. q. 2.

23 Prævalente remissione veteris disciplinæ, præcipit ann. 1581. Concilium Rothomagense (b), ut non adeo promiscui, ut nunc fit, mortui sepeliantur in Ecclesiis, ut ne quidem ditiores; ne is honor detur pecuniis potius, quam gratis Spiritus Sancti, sed hoc servetur Deo sacratis specialiter hominibus, eo quod præ aliis eorum corpora templa sint Christi, & Spiritus Sancti, & aliis in sublimitate, & dignitate, tam ecclesiastica, quam seculari constitutis; quandoquidem & isti Dei ministri sunt, atque organa Spiritus Sancti: aliis insuper, qui nobilitate, vel virtutibus, vel meritis erga Deum, & Rempublicam fulgent. Cæteri pie, & religiose in cæmeteriis, ad hoc dedicatis sepulturæ tradantur.

24 Cæmeteria græce, latine dormitoria appellantur; quia Paulus de mortuis fidelibus propter fidem resurrectionis veluti de dormientibus loquitur. Invaluit eorum pius, ac communis usus exemplo veteri atrii, quod Ecclesia sepulchris fidelium obtulit. Jam ævo Gregorii Turonensis sepulturæ fidelium sacra benedictione parabantur. Cæmeterii tamen consecratio antiquior non est Ecclesiarum inauguratione, quarum una, eademque videtur fuisse. Arg. c. 7. de Consecr. Eccl. vel Altar.

25 Bonifacius VIII. inter cæmeterium contiguum, & remotius distinxit. Forte eodem tempore singularis benedictio remotiori cæmeterio impendi cœpit. c. un. ibi in 6. Hodie Rituale Romanum specialem formam benedicendi cæmeterii definit; unde fit, ut locis religiosis accenseatur.

Pri-

(a) Nov. Leon. c. 3. (b) Conc. Rothom. de curat. offic.

26 Primis Ecclesiæ sæculis fideles, qui ditiores erant, passim in propriis fundis, pauperes in campis subterraneis sepeliri consueverant. Supersunt nobis ex veterum exemplis inde sepulchra Majorum familiaria, hæreditariaque. cap. 2. & 3. XIII. q. 2.

27 His exemplis & novo jure decisum est, mulierem in sepulchro mariti esse tumulandam; & quidem, si plures habuerit maritos, cum ultimo, cujus domicilium, & honorem retinet, esse sepeliendam. c. 3. de Sepult. in 6. Hinc & filii cum suis Majoribus sunt sepeliendi. c. 4. ibi in 6.

28 Monachi, ut suam familiam, ita & sepulturam habent in Conventu, adeo, ut quidem aliam eligere possint. cap. 5. de Sepult. in 6. His accensentur & Oblati, siquidem plene oblato sint. c. 10. X. ibi. Atque tales censentur, qui se, & sua in Monasterium eo effectu tradiderunt, ut, vinculo regularis obedientiæ adstricti, ex bonis Communitatis alantur. Sunt enim & alii Oblati; utpote qui sua aut sibi retinent, aut nonnisi in ultima ægritudine se, & sua Monasterio adscribunt, ut in habitu monastico, veluti signo pœnitentiæ decedere videantur. c. 4. de Sepult.

29 Exceptis igitur Monachis reliqui vel in sepulturis Majorum, vel in cæmeteriis Parochialibus conduntur, nisi ultro aliam sepulturam elegerint. Quippe cuique integrum est eligere sepulturam, tametsi aliena sit. Hæc libertas & Conjugi, & filiisfamilias est, si puberes sint. Pro filio impubere Pater eligere potest, si ita habeat consuetudo. c. 4. de Sepult. in 6.

30 Veteri more omni invidia vacabat, siquis vel in Monasterio, vel in Ecclesia Cathedrali, aut Parochiali sepeliri eligisset. Tunc enim nullum privilegium, vel Jus Parochiali, aut Cathedrali Ecclesiæ præ aliis piis locis fuit. c. 6. XIII. q. 2. Ast cum hujus generis sepulturas maximæ oblationes aliquando sequerentur, sepulturæ in ædibus Monasteriorum electæ ægris oculis à Parochis, & Canonicis Cathedralibus, qui tanto fructu privabantur, sunt notatæ. Quare novo jure statutum est, quartam funeralium, veluti legitimam Parochiali Ecclesiæ esse reddendam, si alibi sepultura fuisset electa. cap. 8. & passim de Sepult. Aliquando alius locus sepulturæ eligi non potuit, nisi aut in Conventu religioso, aut in cæmeterio benedicto. c. 3. ibi. Sed Bonifacius VIII. declaravit, locum etiam minus religiosum, veluti Oratorium, aut Sacellum pro sepultura eligi posse. cap. 2. §. 1. eod. in 6.

31 Inter ea tempora ebullire molitiones nonnullorum Religiosorum, qui freti privilegio, quod apud eos sepultura eligi posset, diversis artibus laicos sollicitarunt, ut in eorum

Con-

Conventu sepeliri eligerent. Reppressit tam degeneres ausus Regularium Bonifacius VIII. adjectis pœnis. *c. 1. de Sepult. in 6.* Atque Clemens V. declaravit, hujusmodi transgressores dictas pœnas ipso facto incurtere, nec ab alio, quam à Sede Apostolica absolvi posse. *Clem. 3. de Pœn.*

32 Si nulla sit sepultura electa, Parochi officium est, defunctis Parochianis suis sepulturam parare, adeo, ut si quis eorum alibi supultus fuerit, per actionem spoliū corpus vindicare possit. *c. 5. de Sepult.* Præcipit hinc Papa, ut, si quisquam Parochianorum alibi defunctus fuerit, ejus cadaver ad sepulturam propriæ Parochiæ remittatur, si id facile fieri possit. *c. 3. ibi in 6.* Passim tamen habet consuetudo, quod quisque, ubi moritur, ibi & sepulturæ tradatur. Quippe hoc modo multæ lites præcaventur.

Cap. 4.
De Exact.
Sepult.

33 Reliquis juris veteris, recentiorisque auctoritatibus irremissibiliter cavetur, ne pro sepultura pretium exigatur. Veteri more in magnis civitatibus funera per Clericos, quos Copiatas, Parabolanos, fossioresque dixere, exportabantur, humabanturque, quibus hodie alicubi Alexiani successisse videntur. Supersunt nobis veteres leges, quæ eorum ministrorum tum numerum, tum officium definiunt, tum & iis sumpsum assignant, ut sepulturæ Constantinopoli gratis præstarentur. *Nov. 59.*

34 In Oriente, cum publici proventus funebres in alios usus detorquerentur, Leo sapiens decrevit, ut, quæ de his jam olim à Justiniano edita constitutio est immota, & inviolata permaneat. *Nov. Leon. 12.*

35 In Occidente, prævalente veterum legum contemptu, vigilavit S. Gregorius: *Hoc autem vitium*, inquit, & nos, postquam Deo auctore ad Episcopatus honorem accessimus, de Ecclesia nostra omnino vetuimus, & per pravam denuo consuetudinem nequaquam usurpare permissimus &c. Refert. *c. 12. XIII. q. 2.*

36 Supersunt in Decreto & reliquæ anteriores, posterioresque auctoritates, quæ vetant pro sepultura ecclesiastica vel pretium, vel præmium extundi, quia & hoc Religionis officium est gratis præstandum. *c. 13. 14. 15. ibi.*

37 Hæc argumenta & novo jure relucet, rejecta consuetudine, si quæ contraria inolevit, quia horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibeatur habere. *c. 8. 9. de Simon. c. 13. de Sepult.*

38 Suppressis exactionibus, locus tamen relinquitur spontaneis oblationibus. Hinc tum veteres, tum recentiores auctoritates excusant, quod accipiatur, siquid vel à defuncto, vel

vel ab hæredibus, proximisque defuncti occasione sepulturæ sponte, & gratis oblatum fuerit. Hæc enim à primis Ecclesiæ sæculis pia, & laudabilis consuetudo invaluit, in funeribus oblationes pro mortuis faciendi. Inquit Hincmarus Remensis (a): *Si quid autem Ecclesiæ, vel altari — gratis oblatum fuerit à devotis quibuslibet, cum benignitate recipere non vetamus.* Et alibi: *Si autem aliquid quisquam gratis offerre voluerit, post sepultum corpus hoc suscipi non vetamus.*

39 Quum Albigenses & has oblationes Clero, Apostolicæ paupertatis obtentu, inviderent, rescripsit Innocentius III. pias consuetudines (utpote in via simplicis oblationis) esse servandas, repressis per quemque Episcopum locis illis, qui malitiose, videlicet per fermentum hæreticæ pravitatis, laudabilem consuetudinem convellere nituntur. *c. 42. de Simon.*

40 Quid clarius? Distinguit Innocentius III. ab exactionibus cujuscunque generis usum piarum oblationum, quia istæ gratis, & sponte præbentur. Hoc enim solo titulo vetus, & laudabilis consuetudo in veteribus, recentioribusque decretis relucet, quam tamen aliquando hæretici convellere nitentur, ut Clerum cogerent ad victitandum ex solis decimis.

41 Postquam vero decimæ personales passim desierunt, & decimæ prædiales multis locis ad Monasteria, & Capitula devolutæ sunt, nonnullis Pastoribus, qui aliunde justo redditu destituti videbantur, per discretam taxationem earum oblationum etiam in via exactionis de congrua portione definienda, vel supplenda providendum fuit. Absit, vero, ut hæc vel causa, vel via suffragari possit reliquis Pastoribus, qui vel integris decimis lætantur, vel aliunde sufficienti redditu sunt instructi? Enimvero his nec vetus, nec laudabilis consuetudo, utpote titulo, & ratione destituta, in eo genere suffragatur. Concilium Coloniense (b) de ann. 1536. diserte Parochos, quibus sufficientes decimæ sunt, dispunxit ab egentibus Pastoribus; præcipiendo, ut *laudabiles consuetudines pro Parochorum sustentatione*, per viam taxationis, & exactionis, in civitate Coloniensi introductæ observarentur, donec ipsis Parochis de victu magis sufficienti fuerit provisum.

42 Et vero procul dubio præstaret, quod utraque potest. *Ep. Van-Espen T. II.* li tas

(a) Hincm. cap. lib. 1. c. 2. lib. 3. c. 2.

(b) Conc. Colon. p. 8. c. 7.

tas vel per collationes Decimatorum, vel per quamcunque aliam viam tenuioribus Pastoribus de congrua portione consulere, ut nullus locus tam funestarum plerumque exactio-num, & extortarum oblationum superesset. Quæ enim illa pia, vel laudabilis consuetudo, neque sine mercede fieri defunctorum exequias? Refert. Nov. 59. præf. in fin.

43 Id reliquum est, quod moneantur Parochi, aliique Sacerdotes, ut in horum jurium exactione omnis avaritiæ, & cupiditatis speciem sollicitè cavere debeant. Præcipit Ritua-le Romanum, ut Parochi, aliique Sacerdotes, missis reliquis corruptelis, iis eleemosynis contenti sint, quæ aut probata consuetudine dari sponte solent, aut Ordinarius assentiente Principe constituerit.

Cap. 5.
De Jur. Pa-
roch.

44 Novo jure passim Pontifices novellis religiosis Ordini-bus privilegium concessere, quod in eorum Ecclesiis libere sepultura eligi posset, adjecta ea cautela, ut salva esset, justitia Ecclesiarum (Parochialium) à quibus corpora assumuntur. Hæc cautela tum juri communi, tum privilegiis reliquis inscripta est, ut nulla fere authentica Bulla proferri possit, ea conditione destituta. c. 9. de Sepult.

45 Nostro usu hæc justitia Parochialis Ecclesiæ principaliter consistit in exequiis celebrandis. Hinc fit, quod Clerus Parochiæ, in qua quis decesserit, tollat cadaver, eoque ad Ecclesiam Parochialem delato, & Missa pro defuncto peracta, Parochus Clero comitante exhibeat corpus Superiori ejus loci, in quo sepeliri legit.

46 Sensim tamen invaluit, quod exequiæ Parochiales absente funere agerentur quia corpus defuncti directe defertur ad locum sepulturæ; modo tamen Missa, sive exequiæ pro defuncto in Ecclesia Parochiali celebrarentur: atque id genus exequiarum in Ecclesia Parochiali celebrandum est, quod respondet Officio funebri ad ipsam inhumationem in loco electæ sepulturæ præscripto.

47 Ecclesia Parochialis veluti mater spectatur, ut per illas exequias ab ea veluti ultimum vale defunctus recipiat. Abhinc & exemplo matris in partem hæreditatis, veluti jure legitimæ, vocatur, si hæc ad extraneos ex dispositione Liberorum transeat. Hoc titulo quarta pars funeralium, reliquarumque piarum obventionum, quæ occasione sepulturæ alibi electæ extraneis Ecclesiis obtigerunt, Parochiali Ecclesiæ veluti legitima vindicatur. Placuit hanc portionem quartam, vel canonicam dicere, etsi pro locorum, & temporum diversitate diversa esse queat. Sic hæc novi juris argumen-

tis alicubi in triente c. 1. alibi in dimidietate c. 2. plerumque in quarta consistit c. 8. Standum ergo est in determinatione hujus portionis loci, aut viciniæ consuetudine c. 9. de Sepult.

48 Declarat Clemens V. ut dictorum Ordinum Fratres de obventionibus, & omnibus, tam funeralibus, quam quibuscunque, & in quomodocunque relictis distincte, vel indistincte ad quoscunque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam quarta, sive canonica portio dari, sive exigi non consuevit, vel non debet de jure, nec non de datis, vel qualitercunque donantis in morte, seu mortis articulo infirmitate donantis, vel dantis, de qua decesserit, quomodocunque directe, vel indirecte Fratribus ipsis vel aliis pro eisdem quartam partem (quam Apostolica auctoritate taxamus, & etiam limitamus) Parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu Curatis largiri integre teneantur. Refert. Clem. 2. ibi.

49 Spectat ergo hæc quarta obventiones præcise electæ sepulturæ, ut in hanc quartam aud imputentur oblationes, quæ ipsi Ecclesiæ Parochiali in, & pro funere fiunt. Nam de hisce relictis nihil dicit Papa.

50 Juxta Tridentinum Decretum (a): Quibuscunque in locis jam ante annos quadraginta quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocunque privilegio aliis Monasteriis, Hospitalibus, aut quibuscunque piis locis concessa, eadem posthac integro jure, & eadem portione, qua antea solebat, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persolvatur; non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque.

51 Passim tamen consuetudo hanc quartam funerariam vel minuit, vel remisit. Nostris moribus nonnullæ Ecclesiæ sibi nihil, nisi primas exequias retinent? In aliis vero Ecclesiis, ubi electa est sepultura, Parochus ad deducendum funus cum suo Clero invitatur, ut officio funebri, ad sepulturam celebrando, intersit, percepturus quartam partem funeralium, quæ circa funus adhibentur, præteritis reliquis obventionibus.

52 Alibi est & locus concordatis, & pactis, quibus hæc obventiones vel remittuntur, vel minuuntur. Statuit Bonifacius VIII. hujusmodi compositiones, & pacta cum Prælatiis, Capitulis, & Rectoribus, & Personis prædictis ab ipsorum

li 2

Fra-

(a) Trid sess. 25. c. 13.

Fratrum conventualibus Prioribus, seu Guardianis facta, vel approbata, de suorum Conventuum consilio, & assensu (dum tamen alias sunt licita, & honesta) debere ab ipsis Fratribus, in locis, in quibus fuerint facta, perpetuo, inviolabiliter observari: non obstante, quod Magistri, vel Ministri, aut Prioris generalium, vel Provincialium predictorum non intervenerit in eisdem assensus &c. Refert. c. 3. de Pact. in 6.

Cap. 6.
De Privil.

53 Interea sæpe vitio fuit religiosis Ordinibus, quod, freti suis privilegiis nonnumquam indignos ad sepulturam ecclesiasticam reciperent. Nam veteri, novoque jure fixa est regula, & post mortem indignos sepulturæ, tot precibus, & suffragiis stipatæ, communionem, quibus in vita non communicavimus. c. 1. XXIV. q. 2. c. 12. de Sepult. c. 5. de Privil.

54 Hinc Pagani, Judæi, Hæretici, Schismatici, & ipsi infantes S. Baptismo destituti à sepultura ecclesiastica arcantur. Juxta veterem regulam Synodi Aurelianensis, *Ecclesiam, in qua Paganus sepultus est, non liceat consecrare, neque Missas in ea celebrare, sed jactari foras, & mundari oportet.* Refert. c. 27. D. 1. de Consecr.

55 His accensentur excommunicati (a), si quidem, sprete pœnitentia, in censura decesserint; sed prævalente farragine censurarum placuit, Decretum restringere ad eos excommunicatos, qui sunt notorii percussores Clericorum, aut fuerint publice denunciati, aut nominatim interdicti.

56 Aliquando de pœnitentibus defunctis anceps quæstio fuit. Præplacuit tamen jam & olim indulgentia. c. 30. & 31. XIII. q. 2. Superest tamen veteris rigoris & novo jure multiplex exemplum. Concilium Lateranense IV. sepultura indignos pronuntiat, qui præceptum annuæ Confessionis, Paschalisque Communionis neglexerint. c. 12. de Pœnit. & Remiss. Pronuntiat indignos sepultura & eos, qui in Torneamentis decesserint. c. 1. de Torneam. Juxta Concilium Tridentinum & ii indigni sepultura sunt ecclesiastica, qui duellum inierunt, si in ipso conflictu decesserint. *Trid. sess. 25. c. 19.* Alibi raptores, & violatores Ecclesiarum privantur sepultura ecclesiastica, nisi satisfecerint de satisfaciendo. c. 12. de Raptor. Denique usurarii manifesti excluduntur, nisi de reddendis usuris idonee caverint. c. 2. de Usur. in 6. Reliquorum manifestorum, & publicorum peccatorum, qui sine om-

(a) Mart. V. Bull. ad evit. scand.

omni pœnitentia, & sæpe in ipso peccato perierunt, aliunde desperata est causa. c. 2. de Furt.

57 Præcipit Innocentius III. ut, si contingat, indignos ad sepulturam ecclesiasticam quocumque casu fuisse receptos, eorum corpora, si discerni queant, exhumentur, & ab ecclesiastica sepultura procul, auctoritate Superioris causa cognita, jactentur. c. 12. de Sepult.

* 58 Abhinc in morali doctrina, quod ad conciliandam justam reverentiam uberius superest argumentum, quam expendere, christiana fûnera esse vera religionis officia? Inquit S. Ambrosius: *Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt: nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est. — In his vasa etiam initiata Ecclesiæ confringere, conflare, vendere licet.* Refert. c. 70. XII. q. 2. Quid disertius sententia S. Augustini (a)? *Nec, inquit, contemnenda, aut abjicienda sunt corpora defunctorum maximeque justorum, atque fidelium, quibus tanquam organis, & vasis ad omnia bona opera usus est Spiritus Sanctus. Si enim paterna vestis, & annulus, ac si quid hujusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga Parentes major affectus; nullo modo spernenda sunt corpora; quæ utique multo familiarius, atque conjunctius, quam quælibet indumenta, gestamus. Hæc enim non ad ornamentum, vel adjutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Unde & antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura provisæ: ipsique, dum viverent, de sepeliendis, vel transferendis suis corporibus filiis mandaverunt; & Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat. — Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus, de cruce acceptum, diligenter, atque honorifice tegendum, sepeliendumque curarunt: Et alibi: Corpori — humando quidquid impeditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium. Juxta Surium refert Metaphrastes (b): S. Martianus, Presbyter, & œconomus magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ — noctu — obiens plateas, & civitatis angiportus, hujus quoque curam gerebat. Sicubi invenisset mortuum præ nimia paupertate abjectum, & cu-*

(a) S. Aug. de Civit. Dei lib. 1. c. 13. (b) Sur. ad diem 10 Jan.

jus nemo curam gereret, & quem talem vidisset, tanquam magnum aliquod lucrum assecutus, eum lubenter videbat; cumque eum libenter lavisset, & induisset, & alia justa pro more ei fecisset; deinde etiam mortuum tanquam vivum alloquebatur: agendum, dicens, sis quoque particeps nobiscum ejus, quæ est in Christo, charitatis. Quæ cum diceret, habebat aliquando eum, qui jacebat, audientem; surgebat enim, ò miraculum, quod verbis non potest explicari! & bonum amplectebatur Martianum — deinde sic mortuus, rursus erat mortuus.

JURIS ECCLESIASTICI
D. VAN-ESPEN

PARS IV.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

TIT. I.

De Jurisdictione Ecclesiastica.

CAPUT I.

De Causis Civilibus.

1 **A**postolus advertens, inordinatum modum litigandi, & disceptandi super rebus temporalibus inter Fideles Corinthios (a) irrepere, eos arguit, quod quæstiones inter ipsos exortas ad profana infidelium tribunalia deferrent. *Audet*, inquit, *aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud Sanctos?*

2 Recte monet Estius, quod hic Apostoli sermo dirigatur ad Actorem, & non ad reum: huic enim, si vocaretur, non erat integrum declinare Judicem ethnicum, modo competentem. Erat ergo, prout Estius pergit, Corinthiorum (b) peccatum in eo, quod, cum possent causam agere apud Fideles saltem ut delectos arbitros, mallent apud infideles Judices experiri non sine Ethnicorum scandalo, & christiane Religionis injuria; nam eo vitia Christianorum detegebantur apud infideles &c.

3 Ut hujus recursus ad Judicia infidelium indignitatem evincat, & ostendat Apostolus, adjungit: *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus indigni estis, qui de minimis judicatis. Nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia?* Innuit
his

(a) 1. Cor. cap. 6. (b) Est. Comment. in 1. Cor. cap. 6.